Inimicos tuos scabellum pedum tuorum; Dauid ergo d(omi)n(u)m
illum uocat & quomodo filius eius est.
Audiente autem omni populo dixit discipulis suis; Adtendite
a scribis qui uolun(t) ambulare in stolis & amant salutationes
in foro & primas cathedras in synagogis & primos discubitos
in conuiuiis; Qui deuorant domus uiduarū simulantes longā
hi accipient damnationem maiorem. Respiciens autem
uidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites.
Uidit autem & quandam uiduam pauperculam mittentem aera
minuta duo & dixit. Uere dico uobis quia uidua haec paup(er)
plus quam om(ne)s misit; Nam om(ne)s hi ex abundanti sibi miserun(t)
in munera d(e)i. haec autem ex eo quod deest illi omnē uictu(m)
suum quem habuit misit; Et quibusdam dicentibus de templo
q(uo)d lapidibus bonis & donis ornatum ess(et) dixit. haec quae
uidetis uenient dies in quib(us) non relinquetur lapis super
lapidem qui non destruatur; Interrogauerunt autem
illum dicentes. P(rae)ceptor quando haec erunt & q(uo)d signū
cum fieri incipient. Qui dixit; Uidete ne seducamini;
Multi enim uenient in nomine meo dicentes quia ego sum &
tempus appropinquauit. Nolite ergo ire post illos.
Cum autem audieritis proelia & seditiones nolite terreri.
Oportet primum haec fieri sed non statim finis; Tunc
dicebat illis; Surget gens contra gentem & regnum ad
uersus regnum & terraemotus magni erunt p(er) loca &
pestilentiae & fames; Terrores q(ue) de caelo & signa magna
erunt. Sed ante haec omnia inicient uob(is) manus suas &
p(er)sequentur tradentes in synagogas & custodias trahentes
ad reges & praesides propter nomen meū; Continget
autem uobis in testimoniū; Ponite ergo in cordib(us) u(est)ris
non praemeditari quemadmodū respondeatis; Ego enī